

fovent, Prophetas scil. & Apostolos non habuisse mandatum scribendi vaticinia & dogmata, sed in eorum usum solum aliquid concinnasse quibus coram praedicatione non potuerint. *Bellar. l. 4. de V. D. c. 8.* sed *instinctu divino* fuisse actum scriptorem hujus Epistolae, qui impulsus spiritus sancti immediatus non potest non *aqui valere* mandato expresso, quale quid tamen habere potuit, nobis licet ignorantibus.

§. V. An Elias propria sua manu has literas scripserit, an verò amanuensi quodam fuerit usus, cui ad pennam verba dictaverit, quærere licet, sed non definire, nec in hac re multum situm est. Apostolus Paulus propria manu scripsit *Epistolam ad Galatas*, sed quia hoc fecit in *evidentia propensionis suae demonstrationem*, tacite innuit, se alias Epistolis suis ab Amanuensibus exaratis non nisi ad notationem, vel salutationem aliquam annectere consuevisse. Galat. 6. v. 11. Ita *Epistolam ad Philemonem* scripsit sua manu, quia habebat *rationem cautionis* alicujus, ut ita ex manu sua, & chirographo potuerit conveniri. ad Philem. v. 19. Propheta *Jeremias*, quamvis jussus fuerit a DEO, ut scriberet omnia verba in aliquod volumē, manu tamen & ministerio *Baruchi* usus est, qui verba ex ore Prophetæ prolata descripsit adhihito atramento. Jerem. 36. v. 4. 18.

§. VI. Quærit *Becanus*, quis *Epistola* hujus fuerit nuncius aut bajulus. Quamvis autem hanc quæstionem moverit, non eo fine, quasi ejus decisionem urgeret, sed solum ut ostenderet, ineptè ab orthodoxis moveri quæstionem *de loco*, ubi *Paradisus*, in quem translatus sit *Elias*, fuerit, *negamus* tamen *eandem esse quæstionem*, quæ movetur de latore harum literarum, & de loco, in quo post translationē habitasse dicitur Propheta, cum *posterior*